Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26458
Copyright: Admont, Benediktinerstift



legem. fide incarnationis. passionis & re
surrectionis xi credendo tenuerunt. Et non
inuento corpore eius uenerunt dicentes se
etiam uisionem angelorum uidisse. qui dicunt eum
uiuere. Corpus crucifixi redemptoris quodam modo non
inuenerunt. quia beatos oculos ad uidendum
eum habere non meruerunt. Unde ait. Multi
reges & prophete uoluerunt uidere que uos uidetis. &
non uiderunt. Venerunt autem in fide & spe
ad illum dicentes. se uisionem angelorum in primis
parentibus in paradyso uidisse. & quod uiuens
uita sit. ipsos angelos affirmasse. Et abierunt
quidam ex nostris ad monumentum. & ita inue
nerunt sicut mulieres dixerunt. ipsum uero non in
uenerunt. Quidam ex nostris. quidam scilicet ex nobis
credentibus. non nullis ex antiquis patribus qui creden
do abierunt ad monumentum. i. ad fidem aduen
tum saluatoris expectantium. & ita sicut a supra
memoratis mulieribus dictum est inuenerunt.
Ipsum uero in carne uenientem non uiderunt.
Quibus prae desiderio & expectatione deficientibus.
Ipse qui expectabatur dixit miserator dominus.
O stulti & tardi corde. Dicere dei. facere eius est.
ipse enim dixit & facta sunt. Unde stulticiam que
humanis inerat cordibus. ipse aduenientis sa
pientia sua repulit. & tarditatem illorum sancti
spiritus gratia effugauit. quia cito discitur. ubi sanctus spiritus